

10
DE
REFORMANDA
THEOLOGIA MORALI

QUANDO
PRAESIDE
JOAN. LEON. BECKER

SS. THEOLOGIAE DOCTORE, AC PROFESSORE PUBL.
ORD. FACULT. THEOLOG. ASSESS. EMINENTISS. AC
CELSISS. PRINC. ELECTORIS ET ARCHIEPISCOPI
MOGUNTINI NEC NON PRINC. EPISC. WORMAT.
CONSILIARIO ECCLES. ACT. INSIGN. ECCLES. COLLEG.
AD SS. PETRUM ET ALEX. ASCHAFFENB.
CAN. CAP.

THESES E THEOLOGIA MORALI

SIBI SELECTAS

PRO PRIMA LAUREA THEOLOGICA PUBLICE
DEFENDIT

CAROL. LUDOVIC. ECKARDT

DUDERSTADIANUS

ARCHIEPISCOPALIS SEMINARII AD S. BONIFACIUM
ALUMNUS CURATUS.

VI Aug.
DIE ~~XXX.~~ ~~JULII~~ MDCCXC.

IN AUDITORIO I. THEOLOGICO.

MANE AB HORA IX AD XI.

MOGUNTIAE

ex Typograph. Elect. Aulic. Academ. priv. apud Haered. Haefner

10 m^{is} Binst, 373

204

Haec est sapientia, in naturam converti, et eo restitui, unde publicus error expulerit. Seneca Ep. 94

Est virtus nihil aliud, quam in se perfecta, et ad summum deducta natura. Cicero de Legibus n. 8.

Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Jesus Christus. Matth XVIII. 3.

Quid aliud est Christi Philosophia, quam ipse renascentiam vocat, quam instauratio bene conditae naturae? Erasmus Roterod. Adhortat. ad Christianae Philosoph. studium.

DE
REFORMANDA THEOLOGIA MORALI.

§. I. *Querela de Theologia morali examinanda.*

Manifestæ sunt et graves querelæ, quibus omnis ordo theologicus, universa theologia, atque pars ea potissimum, quæ de moribus agit, oneratur: reprehenduntur Theologi atque hæc ipsorum disciplina, de qua una sermo mihi est, nunc libris ex professione agentibus, nunc sparsim occasione datâ; carpuntur in novellis literariis; et magna passim invidiâ flagrant. Hos inter censores sunt absque dubio ejusmodi, qui per latus Theologorum ipsam religionem petunt, quam ut pessumdent, ab ejus defensoribus ordiendam sibi stragem putant; sunt, qui joci risusque amore indagant, quæ ludibrio exponere possint; sunt quos atrabilis ad corripiendum flagellum exagitat; sunt, uti confido, plurimi, qui religionis ac veritatis amore ducti, humanitatis sensu moti Theologiam moralem excutiunt, ejus naevos scrutantur, norant, eorum reformationem urgent. Querelæ hæc sine examine vel probare omnes, vel omnes contemnere ejusdem utrumque foret dementia. Nec refert, quâ quis inductus causâ theologicas institutiones criminetur, quia et ab inimicis persæpe veritas discitur et veritatis amicos placide audiendos esse palam est. Quapropter examinare oportet, jure an injuria agatur, quando hæc theologiæ pars, quique eam profitentur, culpantur; inquirendum ulcus, quod ab illis tangitur, et videndum quo loco spina hæreat, quaque possit ratione extrahi et afferri medicamentum.

§. 2. *Reformatione indiget Theologia moralis.*

Nihil sane miri est, ortam licet coelitus, ast, veluti necessum fuerat, commissam hominibus, ab illis conservandam propagandamque disciplinam humani multum pati. Nunquid enim fidereum solis lumen obscuratur maculis, eclipsi tegitur, sub nubibus latet, per noctem plane abest? et mundana quaelibet, quantumvis sua origine divina, corruptioni subjacent? ipsaque mens et ratio hominis, quæ nihil est in universo orbe divinius, quanta caligine involvitur? quapropter neque hoc paradoxum videri debet, morum scientiam, quæ partim rationis lumine naturali, partim affusa revelationis supernaturalis luce cognoscitur, tenebris immunem non esse, eam obscurari sæpe, quandoque ceu inducta nocte extinctam videri. Non est hæc lucis culpa, sed hominum; nec reprehendenda est, quod non cognoscatur veritas, sed quod non cognoscant, culpandi, — certe dolendi sunt homines, quos inde vel temeraria impedit superbia, vel imbellis ignavia retardat. Facendum igitur, Theologiam morum reformatione, emendatione, correctione itentidem indigere, et recta sentire, iusta poscere, qui eam volunt. Ut autem hæc ipsa rite instituat, nec vagis tantum in aëra clamoribus agatur, accurate inspiciendum, quænam sint aut esse possint Theologiae moralis vitia, et quomodo tolli hæc, et ad quam normam in melius formari disciplina morum valeat.

§. 3. *Ejus naevi.*

Certum est, hominum mores bonis legibus bene dirigi, bonisque exemplis adjuvari; ac propterea etiam rectam morum scientiam hisce binis comprehendere, si alterum horum doceat, alterum efficiat. Patet ergo exinde, quænam vitient aut vitare possint moralem theologiam, culpa partim propria, partim aliena; sunt autem hæc, ut sine ambagibus pronuntiem, Legum humanarum multitudo; Poenarum ab hominibus statutarum

rum immensa copia, et abnormis severitas; divinarum legum falsa intellectio; earum inepta pertractatio; denique bonorum exemplorum paucitas. Ex hisce causis et morum et theologiae moralis corruptio oritur, dum leges, quae normam dare moribus deberent, male statuuntur, male urgentur, male intelliguntur, male observantur, culpa vel Praesulum vel Principum vel Theologorum, vel simul omnium: haec igitur corrigenda sunt, huc afferenda sunt remedia: quae enim esse potest ea Theologia, quae superfluis premit oneribus, quae injustis terret fulminibus, quae à Dei legibus desciscit, quae, licet verissima dicat, obsequentium exemplis destituitur? Haec mala expendere, opemque circumspicere omnium est; adhibere autem auxilium, praestare exemplo suo incitamentum est praeter reliquos in utraque republica sacra atque profana Principum; tum et eorum, qui docendi alios qualicumque munere funguntur.

S. 4. *Quomodo reformandi.*

Quemadmodum difficile non est morbum, quod una cum hominum moribus theologia morum laborat, deprehendere, ita nec arduum cognoscere ejus sanationem, dummodo haec non repudietur: *Sanabilibus aegrotamus malis, ipsaque nos in rectum genitos natura, si emendari velimus, juvat.* SENECA de Ira L. II. c. 13. Quae ista sanatio? ut convertamur in naturam, atque eo restituamur, unde publicus error expulit. Atque ut ea, quae ad praesentem tractationem facient, breviter, missis illis de quibus forsitan alias sermo erit, indicem, estne quidpiam, quod sit naturae magis congruum, quod naturali sensu communis sit non humano tantum generi, sed omnibus animantibus, quam quod velint libertate gaudere, quod in servitutem redigi, sub jugum mitti horreant, omnique conatu detrectent? estne aliquid magis accommodatum, ipsoque naturae ductu reciproco profundius insitum omnibus animalibus, quam

quam quod ad aliorum exempla alia se conforment, et a majoribus reliqua discant? Ratio etiam humana diserta demonstratione ostendit, quod brevi oraculo naturae vox edicit, neminem debere ultra voluntatem suam, ultra ineluctabilem necessitatem spoliari libertate suâ; omnium esse, eorum autem praecipue, qui quacunq; praerogativa eminent super alios, ut normam agendi rectam exemplo suo aliis praebent: Revelatio quoque, quae nihil est aliud, quam natura vel ratio perfecta, et ad summum deducta, quam illius restitutio in integrum contra qualemcunq; læsionem, et unde unde illitam labem, haec ipsa inquam revelatio et liberos nos pronunciat, et exemplorum necessitatem injungit: *Non sumus ancillae filii, sed liberae; qua libertate Christus nos liberavit*, ait Paulus ad GAL. IV. 31. qui etiam monet: *Pretio empti estis; nolite fieri servi hominum.* I. ad COR. VII. 23. idemque injungit antistiti Cretensium Tito: *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.* ad Titum II. 7. Quae bina complexus est, nisi fallor, Christus, dum contendentibus de primatu in regno suo Apostolis advocans parvulum statuit eum in medio eorum et dixit: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.* MATH. XVIII. 3. Parvuli nempe, nisi paternis jam infecti fuerint vitiis, longe absunt ab omni malitia, arrogantia, imperiosi non sunt, dominatum non affectant; libenter autem ad parentum, majorumque dicta et facta actiones suas componunt. Unde etiam idem salvator paulo ante mortem suam, ut retunderet apostolorum omniumque successorum ambitionem et despotismi pruritus, capitalem hanc illis reliquit regulam, et ob auctoritatem tanti Magistri inviolabilem, et ejus luculentissimo exemplo illustratam: *Reges gentium dominantur eorum; et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator. nam quis major est? qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* LUCE XXII. 25 -- 7. Quapropter consentientibus natura

natura, ratione, ac revelatione tunc demum et pulchriorem Theologiam morum habebimus, et compositam in melius hominum vitam sperare licebit, quando rupta erunt legum superfluarum vincula, quando nullis comentariorum humanorum nubibus oblecta lex Dei illucescet, quando recte vivendi exempla vicissim vitae rectitudine dabuntur, animi promittuntur: quae si quis deesse sibi ob gradus sui sublimitatem arbitrari velit, is, praeterquam quod opinione hac sua insigniter fallatur, illud studiose consideret, quod ait Christus: *Estote perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est.* MATTH. V. 48. hac ratione etenim nunquam exemplo carebit, et quod sequi, et cuius imitatione aliis praelucere possit.

§. 5. *Leges humanae nimis multae sunt.*

Quod hominum legibus, constitutionibus, praecceptis nimium quantum populus Christianus prematur, vetus est ac saepe repetita, utinam aliquando finita! querela, à multis sapienter mota, a nonnullis insipienter exaggerata, a pluribus imperiose ac fastidiose magis quam prudenter et amanter contempta et rejecta. De hac humanarum constitutionum multitudine in praesens agere propositum mihi est, quoniam persuasissimum hoc habeo, nulla aegritudine periculosis, et uti hactenus, pertinacius laborare theologiam morum, nulla re mores ipsos magis corrumpi, conscientias miserabilius torqueri primum, tum effrenatiores reddi, quam multiplicium legum humanarum, quarum observationem in conscientia Romani Pontifices, Episcopi, Principes saeculares exposcunt, ac jure divino sibi debitam contendunt, incredibili numero. Intellego, quam difficili scopulosoque in loco verser, dum hoc tracto, nec sum nescius delicatissimam esse quaestionem hanc, aleae plenam, et multorum exitio nobilem: verissime nimirum ait Gerson agens de institutis humanis: *Particulares observantiae nec ad salutem necessariae saepe praeseruntur legibus Dei et Evangelicis, imo et hoc ipsum manifestat*

videt

videmus in Decretis et Decretalibus: unde et severius punitur quandoque Monachus sine cuculla incedens, quam adulterium aut sacrilegium committens; et gravius plectitur agens contra unum Papae Decretum, quam delinquens contra divinum praeceptum et Evangelium; juxta improprium Christi ad Pharisaeos: irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. MATTH. XV. 6. Gerson de Directione cordis. confid. 30. Tom. III. col. 476. ed. Dupin. Ast duo sunt, quae ad instituendam hanc considerationem animum erigunt, primum quidem, quod pertaes tandem dominatum Romanum Praesules Germaniae multi, atque inter eos principaliter is, qui Moguntinam Cathedram gloriosissime ornat, populum fidelem è servitute dira legum inutilium manumittere, ab eorum cervicibus aenea juga trans alpes ut plurimum fabricata solvere adnitantur, velintque illis juxta dulcissima Christi verba jugum suave et onus leve indulgere: alterum, quod nihil pertimescendum videri debeat illi, qui veritatem ob oculos positam ita sectari studet, ut legumlatoribus neque detrahere veram praerogativam oratione sua velit, neque falsam affingere; salvamque superiorum auctoritatem non minus praestare studeat, quam populorum libertatem; quarum quamlibet violaveris, religionis ipsius contemptae reus eris, hoc discrimine, quod ex illa parte periculosius est, ex hac parte peccare inhumanius et ignobilius.

§. 6. *Modus tractandi hoc argumentum.*

Ad rite exequendum hoc, quod nunc est in medium prolatum thema de legibus humanis, necesse est accurate considerare potestatis legislatoriae originem, fundamentum atque naturam, eaque tam ad naturale jus, quam juxta revelationis dogmata examinanda; leges dein perpendendae sunt, quae reipsa obtinent, quibus vel omnes omnino Ecclesiae (de qua sola adhuc sermo est) cives tenentur, vel varii homi-

hominum status, varia negotia diriguntur, atque hic jungenda quoque affinis de votis doctrina; discernendum, quae sit ejusmodi legum dignitas, necessitas, utilitas, aut contra; tum considerandum, quid reipublicae Christianae emolumentis consultius videatur, an ut subsistant, an ut aboleantur universim, aut solvantur particulatim leges ejusmodi, et quantum libertati naturali atque Christianae sit indulgendum, quin scandalum detur infirmis; cunctaque haec libratis ex utraque parte rationibus discutienda sunt, et auctoritatis etiam pondus expendendum est. Haec si quis omnia diligenter peregerit, nescio utrum aliquid reliquum sit futurum, quod possit ultra desiderari. Nunc quidem istud, quod ultimo loco propositum fuit caput, praeliminariter tractare lubet, et adductis quibusdam auctoritatibus praemunire viam iis, quae alia occasione dicentur, ut hoc modo velut vallo quodam septa oratio liberius, minusque laceSSita procedere possit.

S. 7. *Auctoritas Apostolorum Act. XV.*

In ipso Ecclesiae Christianae primordio historia occurrit, quae Apostolorum exemplo docet, quomodo, quam recte, quam sancte, quam humaniter exercenda sit legum ferendarum potestas. Cum de necessitate sustinendae circumcisionis facta esset non minima seditio, prohibente Apostolicorum actuum cap. XV., convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc, atque magnopere inquisivere, quid consilii sit capiendum, ac demum definiverunt, liberandos esse a circumcisionis necessitate, qui e gentibus amplexi fuerint Evangelium, quaedam vero alia iis praescribenda. Notabilia sunt hujus decisionis tum motiva tum verba: Narrabant nempe Petrus et Jacobus, Paulus et Barnabas, quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos, absque discrimine datum esse et illis spiritum sanctum, et ad requirendum Dominum eas quoque esse invitatas; quapropter imponendum non esse jugum super cervices discipulorum, quod neque patres, nec ipsi portare potuerint, non esse inquietandos, qui

ex

ex gentibus convertuntur ad Deum: quibus expositis concepta epistola synodica ajunt: *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. Valet.* Act. XV. 28. Maxima elucet in hisce dictis statuti- que et simplicitas et dignitas et humanitas, nobilem- que normam dedere Apostoli successoribus suis, quam in condendis legibus debeant sequi. Prae omnibus magnam conquestionem instituentiam esse censebant, mature pensandum, quid facti opus sit, neque arbitrabantur, quoniam dictum illis fuerat, *qui vos au- dit me audit*, permillum sibi esse tumultuarie pronuntiare, quid sit agendum fidelibus, et pro arbitrio definire: Definitionis autem hujus momenta inde repetenda sibi putabant, quae sit voluntas divina erga conversas gentes, et quid ipsarum quies atque libertas exposcat; cum itaque benevolentia et gratia Dei praestita gentibus, et Spiritus S. in eas effusio, indubitatis esset comprobata argumentis, unde evi- denter constabat, eos esse ceu filios promissionis adoptatos; superstitionem merito credebant necessita- tem corporeae circumcisionis velut materialis ali- cujus signaculi, cum multo illustriorib^{us} signis Deus eas jam distinxisset: cumque Deus hac ratione abunde manifestaverit, praecisa cutis genitalis particula sese non delectari, neque annexos esse, ut crasse opinabantur Judaei, favores suos carnali stigmati; crudeles judicabant se fore, quod si hoc oneris cum omni appendice Judaicae legis (quae erat Judaeorum argumentatio) imponere discipulis e gentilitate neophytis tentarent; itaque praeclaris hisce nullique fraudi vel errori obnoxiiis rationibus moti pronun- tiabant immunes a circumcisionis jugo fideles no- vellos: quoniam vero ad stabiliendam ipsorum fidem moresque in melius formandos quaedam praescriben- da ipsis videbantur, quanta id factum religiositate, quanta humanitate? non sibi tantummodo ita visum esse ajunt, sed praecipue spiritui Sancto; non ad lubitum tantummodo suum provocant sed ad bene- placitum divinum, suaeque legis robur inde derivant, unde

unde omnis potestas est : Modestissime porro ajunt visum esse nihil ultra imponere oneris, quam *necessaria*, ut inde patefceret, non titillari se libidine imperandi, sed exigentia Dominici gregis quodammodo cogi, ut ista praescribant: ac tandem non jactant minas, non intonant anathemata, non intentant fulmina, sed suaviter invitantium, utilitatemque propriam commonstrantium more bene acturos obsequio suo monent, salutemque precando concludunt. Licet hinc legis, nomine suo dignae, characteres confidenter arguere : Lex, qua conscientia hominum teneatur, ferenda non est, nisi facta conquisitione magna : Lex ferenda non est, nisi Dei voluntate perspecta et attento ipsius erga humanum genus amore : Lex ferenda non est, nisi cervicibus discipulorum apta, quieti discipulorum commoda, libertati haud injuriosa cognoscatur : Lex ferenda non est, nisi cujus haec esse possit non fucata, non sibi aliisque mentita superscriptio ; „Visum est spiritui sancto“ : Lex ferenda non est, nisi quantum ad necessaria : Lex ferenda non est, nisi cum modestia, cum humanitate, cum suavi potius admonitione, quam superciliosa comminatione : quo faciunt illa Ezechielis Prophetæ verba : *Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos! nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis; et quod aegrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis; et quod abjectum est, non reduxistis; et quod perierat, non quaesistis: sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia.* Ezech. XXXIV. 2-4: Minus certe voluminosa forent legum humanarum corpora, quod si omnes illae juxta hasce dotes, hos characteres examinatae lataeque fuissent; praesertim si succincta etiam, quae similiter legem hanc apostolicam commendat forma observaretur, si verbositate semota (quae imperitis fucum fortassis facit: estne autem faciendus fucus? sapientiores non decipit, nisi praescriptorum aequitas per se luceat) paucis clarisque verbis, quid agere *necessarium* sit, ediceretur: recte profecto SENECA
et

et congruenter ad eā, quae nunc dicta sunt, ait: *Legem brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur; velut emissā divinitus vox sit: jubeat, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo. Mone, dic, quid me velis fecisse; non disco, sed pareo.* EPIST. 94. Siquis autem forsan de necessitate eorum, quae apostolica lege statuta sunt, dubitet, nullo negotio ejusmodi dubitatio diluitur. „Sanctiones istae,“ ait Calmet ad hunc locum, „triplici ex causa necessariae censentur. I. Ne nimis abalienarentur animi confessorum ad fidem Judaeorum, a quibus impetrari vix poterat, ut in societatem Religionis admitterentur gentes quae sanguine et suffocatis vescerentur * II. ad vitandum discrimen relabendi in idolo-

* Cum recens nata Christi Ecclesia e Judaeis aequae ac Gentibus coalescere debebat, necessarium erat alterutris interdicerē usum eorum, quae alteris offendiculo erant; quia ergo Judaei juxta legem Gen. IX. 4. et Levit. VII. 26. XVII. 14. Deut. XII. 23. quae vetitus erat usus carnis cum sanguine, ejus usum maxime horrebant, conciliandi cum his erant simili interdicto gentiles, secundum illud Pauli I. ad Cor. VIII. 13. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* Nec deerat, prohibendi sanguinem, et carnem cum sanguine, s. suffocatum gentilibus etiam alia ratio gravis admodum, quae Judaeis quoque communis est: primo quidem, cum Calmet I. cit. et ad Gen. cap. IX. ait: „ut major caedum et homicidii horror mortalibus insinuaretur, sive effusione sanguinis sive absque ea perpetretur.“ Experientia certe docet ab effundendo sanguine humano, a caede hominum minus abhorre, minus miserationis sentire, qui mactandis animalibus, fundendo eorum sanguini assueverunt. Secundo, interdiciendi usum sanguinis tum gentilibus tum et initio Judaeis magna causa fuerat haec, quod

„ Iolatriam et imbecillium offensionem , inevitabili-
 „ lem penitus , si gentiles ad fidem conversi idoly-
 lothy-

quod sanguinis usus invitamento esse poterat ad idololatriam sive gentilibus ab eadem vix convalescentibus , sive Judaeis , crudo et ad superstitiones propenso populo : Etenim sanguine delectari Deos , Daemonas , Manes , gentilitiae Liturgiae praecipuum caput erat : de quo apposite ad praesentem tractationem Origenes contra Celsum L. VIII. 30. huic respondens ait : *Ad suffocata quod attinet , cum ex eis expressus non fuerit sanguis , quem dicunt esse alimentum daemonum , utpote qui ejus nidore (exhalationibus, ἀναθυμιάσεων) pascantur , ea prohibet scriptura , ne daemonum cibo nutriamur ; ne fortassis etiam quidam ejusmodi spiritus nobiscum convalescantur , si suffocatis quiescamur .* Idem perhibet Lucianus irridendo gentilium persuasionem hanc. v. Calmet ad Gen. VIII. 21. Cujus rei commentarium luculentissimum praebet Homerus Odyss. L. XI init. Narrat descendisse ad Plutonis ac Proserpinae regnum Ulyssen , ut juxta Circes consilium fortem futuram a Tiresia vate disceret : propterea ipsum jugulasse adolenda voti loco pecora , eorumque sanguinem nigrum in scrobe a se fossa collegisse ; bibendi sanguinis cupiditate confluisse animas defunctorum ex Erebo , sponfas , juvenesque senesque , virosque bellicosos , et circa fossam cum clamore oberrasse ; Ulyssæm vero , prout jusserat Circe , stricto gladio arcuisse defunctorum idola (sive manes) , ipsiusque matris demortuae animam a sanguine illo , donec adventaret Tiresias thebanus : hunc advenientem prae omnibus petiisse , retrocedat a fossa Ulysses , removeat gladium , sanguinem ut bibat , et vera annuntiet ; condito igitur in vaginam gladio , bibisse Tiresiam sanguinem nigrum , ac deinde vaticinatum Ulyssi futura . Finito oraculo hunc e vate quaesivisse , quid sibi velit , quod matris demortuae ani-

thytorum usum admittere, et conviviis superstitiosis adesse permitterentur: ** III. Ut modus ponere-

ma tacita prope sanguinem fedeat, neque suum filium dignetur aspicere neque alloqui: respondisse autem Tiresiam quemcunque mortuorum sineret prope sanguinem accedere, hunc ipsi vera dicturum: tum et matrem et alias ex ordine animas bibisse sanguinem, singulasque Ulyssi genus suum et quae alia exposuisset. — Ex hac antiquissimi et a Moyse haud longe distantis, primi inter gentiles veteres et classici Poetae ac Theologi narratione clarissime cernimus, infedisse animis eorum hanc opinionem placitissimum esse Diis sanguinem; videturque humanarum quoque victimarum causa fuisse potius, quod crederent Deos esse avidos humani sanguinis seu delicioris; aut ustarum carniū odore illos recreari, quam crudelitas coelituū. Placari sane putabantur virgine caesa (Virgil. aeneid. II 116.) infantum immolatione (Nat. Alex. Tom. II. edit. Bing. Dissert. II. Art. II. §. I. pag. 158. de Moloch) quorum carnes et sanguis teneriora, succulentiora sunt; anus aridas aut seneciones exsuccos immolatos fuisse non legimus. Prudentissimo igitur consilio, imo necessitate suadente interdicebant apostoli sanguinem et suffocatum quod ultimum ficiū omittere placet, codicum auctoritate non destituitur. V. Calmet l. cit. Baron. ad ann. J. C. 51 § 17.) ut esset tam gentibus quam Judaeis illud abominationi, quod dapum sapidissimarum loco et in deliciis esse Diis antea crediderant, ipsosque cum sanguine Deos detestarentur.

** Illustrationem hujus interdicti denuo praebet Origenes contra Celsum L. VIII. n. 31. *Quod spectat ad cibum potumque, non aliam cum daemonibus epulandi rationem cognoscimus, quam cum comeduntur carnes, quae in sacrificiis, ut multi vocant, immolantur, et bibitur vinum, quod daemonibus libatum est. Ne igitur convivae daemonum*

„ poneretur libidini foedisque voluptatibus, quae
„ apud Ethnicos adeo vulgatae erant et communes,
„ ut mali naturam et nomen fere apud illos exuis-
„ sent “ *** Quod paucioribus verbis complectitur
Hess

monum esse viderentur, ne propterea Judais scandalo, sibi ipsis periculo, gentilibus ludibrio essent neoconversi, prohibita illis sunt idolothyta, quando videbatur eorum esu participari de ipso sacrificio; quae fuisset utique aperta superstitionis professio et nefanda communio. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Nolo vos socios fieri daemoniorum; non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum; Non potestis mensae Domini participes esse et mensae Daemoniorum.* 1. ad Cor X. 18. 20. Quodsi non esset conjuncta illa professio, idolothyta posse comedi. clare docet. Paulus 1. cit. C. VIII. et X. Et hujus ergo interdicti necessitas clare patet.

*** Quamvis fornicatio, sive concubitus promiscuus (quem graeca vox *πορνη* significat,) naturae legi adeo manifeste repugnet, ut ejus foeditas omni ex parte appareat, eam tamen adiaphoram esse censebant gentiles. Theologiae ethnicae patens Homerus ipsum adulterium Martis cum Venere a Vulcano deprehensum in flagranti risu iac joco fuisse Diis immortalibus perhibet: “ Immen- sus risus excitatus est diis beatis, dum artes Vulcani callidi viderent: Mercurium allocutus est Jovis filius Apollo: Nonne tu quoque in lecto, vincus licet, dormire velles juxta Venerem anream; respondit Mercurius: utinam hoc fieret o Apollo; triplicia licet circumfusa essent vincula, omnesque Di Deaque viderent: ride- bant autem immortales Dii. Odyss. L. VIII. v. 326. seq. Unde Ovidius Metamorphoseon L. IV. v. 186. “ illi (Mars et Venus) jacuere ligati turpi- ter: atque aliquis de Dis non tristibus optet sic fieri turpis. Superi risere; diuque haec fuit in toto notissima

Hess Geschichte und Schriften der Apostel Jesu 3. Buch, 2. Kap S. 205.“ Man sieht aus dem ganzen Zweck und Anlasse dieser Berathschlagung, daß es darum zu thun ist, den Heiden das zu untersagen, was einerseits sie selbst wieder zum Heidenthum zuführen, andrerseits die Juden vom Umgang mit ihnen zurückhalten, mithin die brüderliche Gemeinschaft auf-

notissima fabula coelo.“ Quid miri, quod eadem ratione argumentarentur gentiles, qua Adolescens apud Terentium in Eunucho Act. III. Sc. 5. cum picturam Jovis cum Danae cerneret: „Ego homuncio hoc non facerem,“ quod Jupiter. Fornicationem, ut passim Horatius probat, ita praesertim L. I. Sat. II. v. 31. „Quidam „notus homo, cum exiret fornice: maeste virtute esto, „inquit, sententia dia Catonis: Nam simul ac venas „inflavit tetra libido, huc juvenes aequum est descen- „dere, non alienas permolere uxores.“ Praecipue autem memorabile est, quod dicit Cicero Orat. pro Caelio n. 20. „Siquis est, qui etiam meretriciis amoribus „interdictum juventuti putet; est ille quidem valde „severus; negare non possum, sed abhorret non modo „ab hujus saeculi licentia, verum etiam a majorum con- „suetudine atque concessis: quando enim hoc factum non „est? quando reprehensum? quando non permissum? „quando denique fuit, ut quod licet, non liceret?“ Ex hisce sensa ethnicorum de libidine vaga satis constant, magnaue necessitas eam prohibendi. Accedit et alia secundaria causa, quam memorat Hess. a. a. O. Auch dies hat seine Beziehung auf den Gdhdendienst. Der Apostel will verhindern, daß nicht die zu der Gemeine übergegangene Abgöttischen etwa durch solche Fallstricke, dergleichen einst die Moabiten den Israeliten legten (4. Buch Mos. K. 25.) wieder zur Abgötterei verführt würden.

aufheben konnte. S. auch S. 210. *Necessitas itaque indubitata legis hujus promulgationem exigebat.*

§. 8.

Auctoritati Apostolicae aliam jungere, multo quidem minorem juvat, quae tamen, cum in canonici juris Corpus redacta fuerit, velut e conventionem nummi magni valoris est, praesertim, quia cum apostolica auctoritate omnino concordat. Dist. V. Can. 2. referuntur dotes, quae inesse legi debeant: *Erit Lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam secundum patriae consuetudinem, loco temporisque conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* et additur ab Isidoro L. V. Etymolog. c. 20., unde excerptus hic locus est, *ratione constet, religioni congruat, disciplinae conveniat, saluti proficiat.* Quod si lex aliqua hisce characteribus insignita effulgeat; illa non humano consilio adinventata, non ab homine lata, sed de coelo ad nos delapsa merito videbitur. „ Utinam “ ait autem Amort. Theol. mor. T. I. Tract. II. §. 3. Quae est. I. „ haec proprietates convenirent *omni et semper* “ Quae de re prolixius agendum alias erit.



T H E S E S.

1. Omnes Ethices regulæ præsupponunt liberum arbitrium eorum, qui sint per eas dirigendi. — Est quoque arbitrium hoc, verum Creaturarum rationalium attributum, quo independenter ab appetitu sensuali, se juxta meliorem rationis cognitionem in agendo determinare queunt
2. Ethica proin in genere dici potest „ Institutio substantiarum intelligentium, qua viribus suis diversæ directionis capacibus ita uti discant, ut finem, a Creatore optimo ipsis præfixum secure assequantur, sicque de ejus gratia, ac complacentia se certas reddant. — Unde Ethices dignitas, et momentum. —
3. Conceptus creatoris Dei infinite perfecti aequæ ac — sensus cujuslibet nostrum intimus invicte probant, finem ultimum creaturarum rationalium alium non esse, nisi earum beatitatem. — Cui optime concordant termini biblici, quibus Deus singula in honorem, et gloriam sui creasse dicitur.
4. Consistit vero Beatitas hæc, non cum epicuræis in bono quodam corporali; neque cum stoicis unice in virtute — sed in sapientiae et virtutis studio juncto simul cum spe certa vitæ futuræ.
5. Cujus felicitatis cognoscendæ principia, vel adipiscendæ motiva si e ratione sola petuntur, Philosophia moralis — si altiori, et immediato Dei magisterio perspecta fiant, Theologia moralis audit.
6. Quamvis præcepta, quæ suppeditat moralis Philosophia, admodum præstantia hominique salubria sint, et immerito proin a quibusdam vel vilipenduntur, vel superflua censeantur. — Attamen Theologia moralis philosophiam præstantia adhuc longe post se relinquit, ac præsertim ambitu veritatum latiori — Probatione earum breviori, et certiori — Motivis ad easdem amplectendas urgentioribus — Auxiliis ad ipsas peragendas fortioribus,


7. Ratio itaque et revelatio constituunt infallibile cognoscendae moralitatis Principium.
8. Basis omnium Officiorum, vi antea dicti principii videtur, praeceptum diligendi Deum et proximum sicut nos Matth. 22. v. 37. Quocum coincidunt alia pleraque a sagacissimis viris stabilita principia, ac solis terminis differunt.
9. Oriuntur inde triplicis generis Officia, ut iuste, sobrie, ac pie vivamus in hoc saeculo expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et salvatoris Jesu Christi ad Tit. II. II.
10. Licet generatim Amor natura sua unicus sit, ac consequenter unica quoque, quae in omnium officiorum observatione consistit, virtus detur, respectu tamen diversorum modorum, quibus — vel diversorum objectorum, circa quae amor hic sese exercit, et quorum alia propius Deum, proximum alia respicere videntur, amor ipse una cum relationibus suis distingui potest erga Deum, se, vel proximum
11. Amor Dei consistit in laeta illius cognitione, adoratione, ad voluntatem ejus adimplendam propensione, et siquid contra commissum fuit, poenitudine.
12. Spes vitae aeternae a Deo obtinendae tantum abest, ut mala sit, et mercenaria, ut dignus potius sit mentis nostrae affectus, ac efficacissima praebeat, sensuallitati vincendae motiva.
13. Inter Officia ipsi praestanda, potissima, ac prima omnium est fides ejus praeceptis danda, quae continua et operibus animata esse debet. — Unde quoties elicienda sit haec fides in vita, ne peccemus? — quaestio est aequae inutilis, ac ipsi causae bonae, verae fidei nociva.
14. Repugnat ei quoque dubium temerarium, nec non temeraria lectio librorum eidem adversantium.
15. Fidem in Deum et Jesum Christum positive negare nunquam licet; palam profiteri tum necesse est, cum Dei honor, ac proximum pervertendi periculum exigit.
16. Juramentum et Votum ad Dei adorationem pertinent, adeoque licet utramque cum conditionibus debitis.


17. Nobis debemus cultum animae et corporis, et neutrius neglectioem.
18. Ad cultum animae pertinet dominium in adfectus, et radicem omnium superbiam, cujus natura, et pernicijs exponetur,
19. Atque veritatis studium absque temeritate, et scrupulositate.
20. Ad cultum corporis pertinet primo omnium moderatus usus Cereris, Bacchi, et Veneris.
21. Conservatio vitae praecipuum est officium, adeo *avroxiptia* non licet, nisi in casu rarissimo ob bonum publicum.
22. Conservatio pudicitiae, et bonorum temporalium pariter ad nobilia hominis officia refertur, quae violare nefas, et contra aggressorem injustum etiam cum ejus nece tueri fas est.
23. Famam tueri fas et jus est; nece alterius tueri nulla proportio est, adeoque Duellum regulariter non licet.
24. Aliis debemus, quae nobis, adeoque animae et corporis incolumitatem certe, etiam cultum.
25. Quapropter non licet corrumpere alterius mentem scandalo, quin decet emendare fraterna correctione.
26. Oportet subvenire animae laboranti salubri et opportuna instructione, corpori vero subsidio competente — quae est Eleemosyna spiritualis et corporalis.
27. Officia hic generatim recensita, et quaecunque ejus consuetaria praescribit lex primo quidem naturalis, quae est aeterna, immutabilis, nec dispensationis capax.
28. Sic etiam lex positiva hominum ad legislationem debite constitutorum in conscientia obligat, si legi naturali, vel divinae positivae innitur.
29. Legum vel officiorum violatio aequalis non est, cum nec officia sint aequalia.
30. Differentia actuum liberorum ad legem dicitur imputatio, quae, si legi conformes, imputantur ad virtutem, si diffformes, ad peccatum. Utraque Imputatio major minorve esse potest tum pro legum gravitate, tum harum legum cognitione.



- 1.) *Sastores in Hueltop de Definitio quadræ
gesimali — 1787*
- 2.) *Von Schirren von der Natur der Sprache — 1788*
- 3.) *Pultmann de utilitate actionum
humanarum; sine et regala — 1788.*
- 4.) *Erump: gabar die Eigenschaften der Kunst
der kriegsartigen Kunst der Kunst.
Lipsa — 1782*
- 5.) *Uban die Natur der Kunst der Kunst — 1789*
- 6.) *Pougenont über die Natur der Kunst
der Kunst der Kunst — 1789*
- 7.) *— Uban die Natur der Kunst in der Kunst
1792*
- 8.) *Ries Epitome Philologica*
- 9.) *Quid est indulgentia catholica?*
- 10.) *Becker de reformanda theologia
moralis*

//









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
